

lismodi excretionibus nondum vel minus adfuetas, tum quoque ob teneritudinem & habitum corporis delicatiorem, sensumque magis exquisitum, ut sentit *Sylvius prax. med. l. c. §. 12.* Controvertunt Autores, an primiparis dolores post partum contingant? quod quidam negantes, adducunt, à primo partu uterum minus adhuc esse defatigatum, uteri os adhuc esse arctius, quò minus aer externus admitti possit, sicque primiparas ab hisce absolvere audent torminibus. Rectissime verò hanc refutat sententiam laudatus *Rod. à Castro l. c.* innuens: æquè graviter primiparas, ac eas, quæ sæpius peperere hisce torminibus divexari, testantibus multis exemplis; imò & fœminas ac virgines citra puerperium ante mensium eruptionem, analogis vel similibus cruciari torminibus, cum idem adsit subjectum, eademque appareant causæ, quæ hoc locò sunt viarum angustia & sanguinis grumescencia. Cui & nostrum adjicimus calculum *Sylvii* non minus, quàm *Roderici Castrensis* amplexantes sententiam.

Deindè adultioribus & ad senium accedentibus à contrario potius evenire putamus, quod tum uteri archeus labefactatus nimis, tum sanguis reddatur impurior, corpusque totum magis siccescat, quare ad statum p. n. ultro velut disponuntur.

## §. X.

De anni tempore res clara est: *hyemali* nempe puerperas ad dolores modò dictos procliviores esse, cum facilior auræ frigidæ admissio improvisa fieri possit; imò *hyems* gravidis si non exitialis, sæpè tamen inimica sit, ut scribit *Hippocr. 3. Aphor. 12.* Par ratio prostat de *Regione*, quæ vel frigidior, sanguinem magis disponit ad coagulationem seu grumescenciam; si verò calidior sanguis facilè effervescit & acrimoniam concipit, quâ mediante uteri irritatio procedere potest.

## §. XI.

Ex ordine causarum *Nonnaturalium*, quæ medium inter naturales & p. n. tenent, *Aër* imprimis considerandus. Pri-